

SECULUM  
IX.

Opp. T. X.  
p. 853.

Accidit tunc, quod semper hactenus factum dolemus, dum mysterium prædestinationis & gratiæ curiosius contentiosiusque tractatur. Nulla fuit Gothefcalco talis necessitas eam disceptandi materiam, quam S. Augustino imposuit Pelagianorum Semipelagianorumque hæresis, ac contentio adversariorum, quos nactus fuerat ingenio pollentes & disertos, quosve tot libris obruere fuit necesse, telaque omnia retundenda fuerunt, etiam prævisa acerrimo foecundissimoque Augustini ingenio. Unde suo iam tempore ex illis quoque, qui pio studio animoque docili eius scripta versarunt, nonnulli in præceptis agebantur, ut ipse consultum duceret, in libro de dono perseverantiæ cap. 22. præscribere, qua ratione oporteat ad populum prædestinationis mysterium prædicari, quæve sint in eo exponendo formulæ odiosæ & vitandæ. Id quod maxime in disceptatione de duplici prædestinatione locum habet, in qua dum longius proceditur, proclive est prædestinationem ad culpam & poenam confundere. Contigit hoc in causa Gothefcalci, cuius tamen bina fidei professio brevior & longior aliter sonat, quam in Rhabani epistola proposita est eius doctrina, ut videatur prædestinationem Dei perinde ad peccatum ac ad damnationem statuisse. Neque vero sinistre adeo omnes de Gothefcalco sunt opinati, nec hodie opinantur, nactusque demum post secula est defensores, qualem inter alios, dum viveret, doctissimum habuit Lupum Abbatem Ferrariensem imprimis fautorem: quod tamen non obstitit, quo minus ab Hincmaro ad mortem usque exagitaretur. Ipse vero in sententia sua pertinax non acceptis morientium sacramentis obiit sub anathemate, quo eum synodus Moguntina feriit, quæ fuit sub Rhabano secunda.

Concil. Germ.  
T. II. p. 160.

In prima autem anno præcedente 847. habita, castigata fuit mulier quædam de Alemanniæ partibus, nomina Thiota pseudo-prophetissa, quæ, ut passim in annalibus notatur, Salomonis episcopi Constantiensis parrochiam suis vaticiniis non minimum turbaverat: nam certum consummationis seculi diem, aliaque perplura solius Dei notitiæ cognita quasi divinitus sibi revelata scire se fatebatur, & eodem anno ultimum diem mundi imminere prædicabat. Unde multi plebeii utriusque sexus timore perculsi ad eam venientes munera illi ferebant, seque orationibus illius commendabant; & quod gravius est, sacri ordinis viri doctrinas ecclesiasticas postponentes illam quasi magistram cœlitus destinatam sequebantur. Hæc in præsentiam episcoporum apud S. Albanum Moguntia deducta, & diligenter de suis assertionibus requisita, presbyterum quemdam sibi ea suggestisse, & se talia questus causa narrasse professæ est.

VII.